

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

CCXXXII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

CCXXXII.

*Salutem & gratiam in Jesu Christo. Venerande vir,**Domine, ac Præceptor.*

Quas tua Humanitas ad me dedit literas, eas, quia ad totius ministerii petitionem per me factam, responsum fuerunt, fratribus meis & symmistris, pro eo, quod debui, communicavi. Et gratiam habemus tuæ H. que nos & Ecclesiam nostram tanto amore complectitur, neq; deesse nobis sua officia sinit. Næ magni beneficii loco & pro peculiari dono DEI ac solatio nostro hoc est nobis in tanta rerum omnium confusione & ferè desperatione habendum, quod nobis licet vos amare & revereri, vestrumque consilium in rebus difficilioribus cum fiducia non mediocri requirere, requisitq; potiri. Ad personas verò abs tua H. nobis propositas quod attinet, propter negociorum nundinalium turbam, & senatus infrequentiam (alius enim hoc, alius alio officio publico, ut ne in nundinis adsit, impeditur) in hunc usq; diem nihil de eis agi potuit. Nominabimus autem præ omnibus, volente DEO, Hombergerum, quem certò effemus habituri, si Senatus in vocationem ejus consentiret. Dedit enim mandatum cuidam nostrati, ut si locus hic vacaret, ipsius mentionem faceret: quod propter statum Ecclesie sibi notum, & patriam suam propinquam, mallet hic quam alibi vivere, nullo respectu vel Doctoratus sui, vel stipendii tenuioris habito. Huc accedit, quod etiam nunc de cujusdam hominis ambitione, quâ multum vexetur, apud D. Matthiam nostrum per literas queritur, & unice exoptat, illinc avocari. Huic addemus M. Rupertum, quem confidimus, si eum ab H. tua petamus, se sistere nobis, ut videatur & audiatur, velle ac posse. Accidit autem, ut eo tempore, quo ego ad tuam H. scripsi, Dn. Matthias ad Bidenbachium literas daret, ac mentione obitus M. Hartmanni p. vi. ab eo peteret, ut, si quis idoneus ei in tanta multitudine eorum, qui Heidelbergam confluunt, occurreret, ad nos eum ablegaret. Ita factum est, ut Dn. Bidenbachius, tunc Studgardiani reversus, cum alium ad manum non haberet, ac nihilominus consulere nobis cuperet, pastorem Merlingensem, quem aliquando etiam Badensibus concesserat Princeps, Augustinum Brunnium, ad se vocatum, per occasionem nundinarum ad nos miserit. Hunc bis audiri fecimus: sed paulò post dimissus est cum viatico, deliberatione de ipso & aliis, in tempus idoneum, quo universus Senatus unâ sit, rejecta. Et sunt unus atq; alter, qui non obscure petere videntur, ut ipsorum mentio per amicos fiat. In hac rei incertitudine nihil aliud possumus, quam Christo Domino, summo Pastori, omnem rem precibus ardentibus commendare, & quorsum res exitura sit, cum patientia & auxilii Christi fiducia, opperiri. Interim obnixè petimus, ut H. tua moram aliquantam nobiscum & propter nos patienter ferat, nobisque, quod hoc petimus, benigne condonet. Scriptum tuæ H. quo consensus Calvinistarum cum Luthero detegitur & vanitas ejus demonstratur, accepimus, cum jam prelo subjiceretur.

rur

tur admonitio nostra. Et accepimus hoc, jamque per Dominum Aug. Feticchium remittimus, cum debita gratiarum actione. Legit illud solus Dominus Matthias, & de lecto nobiscum per intervalla communicavit. Editio ejus, ut à suis certis hominibus impediatur, metuendum est. Variè enim in aula & Ecclesia hodie agitur. Nos, ut nostram commonefactionem in lucem emitteremus, vixdum obtinere potuimus, neque alia conditione obtinuimus, quam hac, ut nomen authorum, (qui nos sumus, licet D. Matthias calamum gesserit) & typographi, & loci, prorsus ommitteremus & supprimeremus, & clam etiam excudi hic faceremus, quod postremum unus atque alter veluti in aurem nobis dixerunt, cum alioqui prælum nobis omninò denegaretur. Neque animadvertere potuimus, quod rejiceretur scriptum per sese: sed quia Casimirus libellum à se missum, suis sumptibus excusum, atque aded sibi factum, & suum esse, semel atque iterum scripsit, & multam 100. florenorum (quorum altera pars typographo, altera ei, qui impensas fecisset, pendenda erat,) se his nundinis per certum hominem daturum, spe recipiendi eam per DEUM ac tempus, minatus, magis est quam promisit: idcirco ne cælum ruat, metuitur. Quia igitur aut Ecclesia erat sperata commonefactione fraudanda, aut nomen omne supprimendum, alterum illud cum dispendio aliquo nostro facere maluimus. Exemplaria XXX. colligata inscriptraque Christophoro Ridlingero & obsignata tradidi Domino Josæ Rihelio. Ea vel in vos ministros distribuere potestis, vel Christophoro, ut vendat, dare, constant floren. Ad me quod attinet, omnia nunc silent, quò ad Palatinum. Sed & valde libenter maneo extra difficultates, illic mihi oppositas, & nunc, si denuo vocer, & maximè velim, in vacuitate loci M. Hartmanni non possim ab Ecclesia nostra abesse. Suspicio autem esse, qui quibuscunque modis possunt, cupiant Reformationem impedire. Audio & Electorem & Theologos ejus præcipuos à doctrina Omnipræsentia Christi esse alienos & abhorrere. Unde fortasse factum etiam est, ut D. Bidenbachius discesserit. DEUS Ecclesiæ suæ misereatur. Fuit apud nos hisce nundinis D. D. David Chytræus, nescio qua occasione. Negabat autem omninò, se in Palatinatum esse ascensurum, nimirum ne in suspicionem veniret ambitæ proyticiæ illius, quam ante subire detrectasset. Sed ecce cum vix unum diem hic fuisset moratus, afferuntur ei literæ Electoris, quibus vocatur, non quidem Heidelbergam, aut ad Principem Electorem, aut ad Reformationem, sed ut Wormaciam veniat, in ædes Palatinicas, ad colloquium cum certis quibusdam, qui ad ipsum eò sint remittendi. Videtur tentandus illic esse, ut, si placeat, Heidelbergam deducatur, sin minus, ut citra damnum & ignominiam cujusquam dimittatur. Non possum non hoc in loco ad tuam H. conqueri de hostibus Jacobi Andr. & doctrinæ Omnipræsentia, quæ ei potissimum tribuitur. Varios habet hostes: Pontificios, Calvinistas, Flaccianos, & nunc nostros, qui miris modis ubiuitatem exagitant, ita ut opus esset, Ecclesiam admoneri & edoceri per peculiarem tractatum, quid rei esset, h. e. quid nobis affingeretur, quid doceremus,

quo fundamento, qua forma & ratione, quemquam in finem. - Certè nisi Ecclesiæ succurratur, omnia pessum ibunt. Amici enim, & confessionis nostræ focii, mantinent adversariis innocentes traducentibus & calumniantibus fidem adhibere, quam sincero animo tum calumniis hostium, donec rem plenius cognoscant, disfidere, tum de nobis tanquam veritatis assertoribus meliora & veriora his, quæ sparguntur, sperare. Optarim tuam H. cum D. Doctore Chytrao, vel vobiscum, vel Wormaciæ, vel in intermedio aliquo alio loco, in colloquium venire posse, & unà de harum regionum Ecclesiis & earundem statu corrigendo deliberare. Certè D. D. Chytraus multa habet, quæ vobis communicaret nova, & de quibus utiliter ex his, quæ hæcenus tanquam bona pars egit, multa in medium afferret. De formula Concordiæ nemo quisquam adhuc nobis aliquid dicit aut scribit. Valeat tua H. in Christo cum uxore ac tota familia, ministerio, & Ecclesia, nosque amare & juvare pergat. Mito exemplar editi jam à me libelli ad tuam H. non tantum propter historiam M. Hartmanni, sed etiam ut judicet de reliquo meo labore. Francofurti, 22. Septemb. Anno 77.

T. H.

observantiss.

Petrus Patiens.

CCXXXIII.

Salutem in Domino.

Promissi tuæ R. vir Clarissime, Reverende in Christo pater, quod occasione oblata interdum ad R. tuam literas dare vellem, & in iis progressum negotii Concordiæ in Saxonia significare. Itaque R. tua hæc accipiat. Scripsit hisce diebus ad nos D. D. Jacobus Andreae ex Lipsia, quod negotium Concordiæ in Saxonia felices faciat progressus. Ac quanquam Pomerani subscribere subdubitarint, tamen omnino fore sperat, ut brevi subscribant. Dicitur enim dies, quo convenire debuerunt Pomerani quidam Theologi, ut cum illis per D. D. Jacobum Andreae & per Electoris Brandenburgici Theologos agatur. Idem futurum scripsit, cum Anhaltinis & Hassis; Solet autem Elector Brandenburgicus suos Theologos Doctori Jacobo adjungere: id quod magnum spero habere pondus apud Pomeranos, Hassos & Anhaltinos. Marchionis Georgii Friderici Theologi subscripserunt, ut ipsius Celsi. epistola ad nostrum Principem Dominum Ludovicum testatur. Reichenvillensis ditionis Ministri omnes subscripserunt toti formulæ: idem etiam factum à Gallicis Ministris in
Comi-